

1547. 4. 25. Aprilis.

Ca. M. S. Arch. San. Aug. Reg.

Ferdinandus Rex Romanorum, Hungariae
Boëmicæ, Archidux Austriae, Bone Spor-
tie Reginae Poloniae.

26

Serenissima Princeps Soror et consanguinea nostra cha-
rissima. Non dubitamus Sororitatem Vestram, aliorum
et literis et Nunciis intellexisse, quomodo et quam ob causam
Sacra Cesarea et Catholica Regia Majestas Dominus
et frater noster charissimus, ac Nos et Illustris Marci-
tus Dux Saxonie Princeps et consanguineus noster
charissimus communibus Viribus, tam Equitum, quam
Peditum in propriis personis, expeditionem bellicam
contra rebellem Joannem Fridericum, qui se Ducem
Saxonie appellavit ejusque Ditionem et Subditos proximis
superioribus diebus suscepimus. Itaque nunc Serenita-
ti Vestre Fraternè significamus. Quod cum occupata
tota Provincia, quam Voittant appellat in Rogicoz
castra metati sumus, heri ante Diluculum prefata
Cesarea et Catholica Regia Majestas una Nobiscum
et cum memorato Duce castra movit et recta adver-
sus dictum Rebellem, qui ultra Albini fluvium propè
Oppidum Malsperg appellatum ad alteram fluminis
rippam situm cum Equitatu et Peditatu suo conse-
derat, profecti sumus, ubi quamvis ipse hostis sese
nobis acriter missione globorum, et aliis resistentie
modis opposuisset, ut scilicet et transitum nobis pro-
hiberet, et pontem quem ex Navibus constructum, ad
oppositam rippam pene se habebat defenderet, ta-
men contra hujusmodi hostium resistentiam, aliquot
ex nostris flumen vado traicere, et cum hostibus levi-
bus preliis congredi et pontem illis adimere jussimus.

Et postea

Et postea mox memorata Caesarea Majestas, nos et Dux
Mauricius praefatus trajecto flumine per Vedum cum
levis et gravis armatura Equitatu hostes ipsos, qui
mox retrò cesserant, ad tria Milia Germanica in-
secuti sumus. Ubi ipsi nacto jam loco illis ad faci-
endam resistantiam opportuno, se se tam Equitatu
quam Peditatu bombardisque contra nos propè quan-
dam silvam collocaverant, et instruxerant fortasse pro-
pterea quod existimabant Caesarem Majestatem, et
nos qui neque Peditatum neque bombardas nobis
cum trahere poteramus, eos tam Equitatu, quam
peditatu et bombardis monitos instructosque aggredi
non cururos esse. Attamen eo non attento in eos im-
petu facto illos fudimus et profligavimus rebelles
ipso capto, et propè deleto toto exercitu, iis qui non
fuerunt occisi partim saucis, partim vita incolumi
captis, filio etiam ejusdem rebellis natu majore oc-
ciso Duce Ernesto Brusnicensi, atque nonnullis Co-
mitibus Baronibus et Nobilibus captis, simul etiam
Bombardis et Curribus omnibus bonis, et rebus
hostium onustis ademptis et occupatis. Quam Vi-
ctoriam Nobis à Deo Optimo Maximo contra eos
qui se se Divinitus instituta potestate ^{et superioritate} opposu-
erunt benigniter concessam. Serenitati Vestre ideo
significare volumus, quod non Dubitamus ean-
dem Serenitatem Vestram, pro sua erga nos bene-
volentia ingens gaudium capturam esse, quam
feliciter valere optamus. Datum in castris Cesa-
reis et Nostri 25. Aprilis 1547. Regnorum
Nostrorum Romani 17. Aliorum vero 21.